

5+6/91

IDIBUS DECEMBRIBUS

MCM XCI



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 91

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!


Etiam hoc anno animadvertimus Europam incredibili quadam celeritate mutata esse, mutari, mutatum iri, ut illa Heracliti philosophi dicta, quae MMD annis praeteritis non minus valent, memorare possimus: πάντα ῥεῖ (omnia fluunt). Aliae civitates, imprimis in occidentali parte Europae sitae, libertatem suam minuere volunt petentes inter nationes confoederationem, quae societas Europaea dicitur, aliae civitates vel nationes adhuc confoederatione consociatae, velut Res publica Sovietica et Jugoslavia, libertatem appetunt. Itaque XI civitates pristinae Rei Publicae Sovieticae novam confoederationem 'societatem liberarum civitatum' dictam constituerunt. Etiam si praesidentibus agentibus confirmatio populorum (qui vero modo democratico dissolutionem Rei Publicae Sovieticae decernere debuissent) adhuc deest, difficultates seu oeconomicae seu aliae, eadem sunt, spes quaedam est rem bene profecturam. Sed apparendum erit, quomodo res sine Michail Gorbatschow, auctore omnium mutationum, qui sex tantum annis ingentia molitus sit et assecutus sit, progrediatur. An mox iam illum virum egregium desiderabimus?

Cum mutationes illae opibus pacalibus factae sint, in Jugoslavia res aliter se habet. Quod temporibus nostris media in Europa accidere posse nemo fere nostrum putavit, accidit: Bellum civile atrocissimum crudelissimumque inter nationes Serbianorum et Croatianorum exarsit, imprimis propterea, quod gubernatores Serbiani Jugoslaviam in societatem sex civitatum liberarum mutari noluerunt. Multae quoque causae eorum casuum in rebus gestis priorum aetatum et imprimis nostri saeculi inter illas nationes positae sunt. Uno puncto temporis totum odium, omnes controversiae et differentiae inter eas nationes iterum exarserunt. Homines, qui multos annos finitimi pace convixerunt, subito inimici acerbissimi facti sunt. Tantus furor fatalis suae nationis multos homines vocibus perniciosis exagitantium gubernatorum seductos invasit. Maxime res nos dolent, quia

multi nostrum in hac terra amoena ferias egerunt et homines amabiles comesque noverunt, imprimis in ora Hadriana, et nunc cottidie fere nuntios accipimus urbes pulcherrimas velut Dubrovnik et Zadar laedi vel deleri. Res dementior et insanior est quam ut mente comprehendi possit.

Quid agunt aliae civitates Europae? Verbis multis indutias constituere conati sunt, sed XIV indutiis neglectis nihil effecerunt. Sine dubio facilius est posterius iudicare et consulere, quae agi oportuisset. Tamen quaestio occurrit, nonne fieri potuisset in principio intercedere, cum bellum exorsurum erat, ad hanc insaniam inhibendam. Sed forsitan nihil egerint, quod non putaverunt tale bellum in Europa nostra accidere posse, L fere annos post bellum pancosmicum secundum et bellum civile Hispanicum. Nunc autem res in pessimis condicionibus sunt: imperatores militares, qui sciant bellare et delere, paci et placabilitati studere autem nesciunt vel nolunt, potius quam gubernatores, quibus res manibus elabi videtur, regunt. Solutio turbationis et finis insaniae in dies difficiliores sunt factu.

Certe illa observanda sunt, quae toto in mundo accidunt. Sed etiam, et imprimis, quae apud nos fiunt, curanda sunt. Etiamsi multa bona aguntur, quae nullo modo minuere cupio, etiam in nostra terra humanitas non semper tantum floret, quantum libenter imaginamur: Tempore novissimo odium in homines aliorum nationum, aliorum colorum augeri videtur;





vel domūs refugium petentium incensae et telis igniferis appetitae sunt. An, ut aliud exemplum adhibeam, in consilio nationali quoddam genus politicorum versatur, qui alia cogitantes libentissime e consilio et curia eicerent.

Res in toto mundo, etiam si saepe non movere possumus, tamen observandae et cogitandae sunt. Eas autem, quae apud nos fiunt, movere possumus agentes. Multae res in vita cottidiana agenda sunt, ut efficiatur aliquid; parvae quidem, sed nisi in parvis coeperimus, numquam res maiores efficiemus. Melius est nos parva apud nos ipsos incipere quam nihil agentes de malitia mundi queri. Sequamur dicta illius philosophi Sinensis nomine Kung-fu-tse: "Melius est lumen accendere quam de tenebris queri." Sint vobis multae occasiones talia lumina accendendi. Si unusquisque eas res, quas movere potest, meliores reddere conatur, tempore procedente maiores quoque res paululum meliores fient.

Sint iucundi vobis dies Natales (quibus ille vir nasci dicitur, qui rigidissime et sine concessionibus ut fortasse numquam antea et postea aliquis caritatem hominum inter eos ipsos postulavisse traditur dicens: "Diligite inimicos vestros!"). Sit vobis annus novus felix et appropinquemus nos omnes paululum illi paci, quae verbis "dona nobis pacem" per saecula adhuc frustra imploratur. Sint vobis animus et vigor ad agendum, sive ex philosophia, sive ex religione. Non refert, quorum fontium impetu usi agatis, sed ut agatis.

Valete!


Daniel Weissmann



MYTHI HELVETICI

De tibicine quodam Sanctgallensi

Multa quidem et mirabilia narrantur de medico praeclaro Einsidlensi, cui nomen erat Theophrastus Bombastus Paracelsus. Clarissima est eius ars sanandi; facinus autem eius celeberrimum et miraculosissimum factum est in urbe Sancti Galli, unde Paracelsi fama totum per orbem divulgabatur. Eodem die, quo legati Confoederatorum (1) se ad sessiunculam annuam Aquas Helvetias (2) congregaverant, tibicen quidam nomine Steucheler per Sancti Galli urbis vias vagabatur et pervenit ad portam Multeri (3). Ibi Paracelsus cum nonnullis viris nobiles scientifice disputabat.

Streucheler vero sine timore colloquium participavit verbis his: "Utinam hodie Aquis Helvetiis essem! Legatis enim ibi epulis fruentibus sapidissimis tibia canerem et mercedem haud parvam mihi acquirerem!"

Medicus autem subridere non desinens "Streucheler mi", inquit, "nunc domum abi et vestem dominicam indue, tunc tibiam ferens quam celerrime huc revertere. Equus tibi paratus erit, qui te tam rapide Aquas portabit Helvetias, ut legatis canere possis!"

Tibicen primum dubitavit, quin Paracelsi verbis confideret. Seria an iocosa erant? Tum autem veste splendidissima induta petasoque tribus plumis ornato brevi post reversus est et "Ecce me!" clamavit. "Sed ubi terrarum, domine medice, equus tuus mirabilis est?" - "Ibi ante portam stat iam ephippio et frenis instructus. Conscende animal, fac bene teneris, sed cave, ne uno verbo loquaris. Si non, collum tibi franges! Bonum iter tibi exopto, Streucheler!" Ille scilicet se ad portam tulit, ut videret, qualis ibi staret equus. Spectavit autem equum candidissimum!

Tibicen impiger animal dissolvens et ephippium conscendens medici verba oblitus fere prae timore exclamavit, quod equus - mirabile visu - non in humo processit, sed avium more altum petivit aëra! Maxima super urbis turre et tecta velocitate volavit, ut Streucheler cernere vix posset, ubi esset. Silvas, prata, paludes, lacus oppidave de alto

videre poterat volatuque maxime gaudere coepit. At iam viginti minutis post equus terram iterum solidam petivit, quod iam Aquas Helvetias pervenerat. Streucheler timoris sudorem e fronte removens haud male mirabatur equum ex improvise evanescere.

Tunc autem tibicen ad illam domum se tulit, qua legati Confoederatorum non consilia tantum bona capere, sed etiam cibus delectari solebant. Ibi una cum ceteris musicis tam belle canebat, ut omnes audientes cibus depositis melodiam fere caelestem auscultarent. Subito autem legatus Sancti-gallensis Steuchelerum aspiciens "Quantum miraculum!" exclamavit. "Streucheler, utrum ades an non? Qualis diabolus te attulit?"

"Certe adsum, domine maxime honorabilis. Ac nullum dubium est, quin diabolo ipso huc equitaverim!" Tunc legato omnia narravit, quae ei acciderant. Denique "Talem", inquit, "equum numquam conscendam, etsi pulchrum est orbem de alto contemplari."

Non a legato tantum nummi ei tributis sunt, quamvis multi nescirent, utrum fabula audita vera esset an falsa. Nemo enim viderat, quo modo tibicen ab urbe Sancti Galli Aquas Helvetias pervenisset. Si vero Paracelsus hac re involutus erat, certe vera esse debebat, cum Theophrastus ille variarum artium esset peritus ceteris hominibus ignotarum.

- | | |
|-------------------------|---|
| 1 Confoederati, -orum m | "Eidgenossen"; aliud nomen incolarum Helvetiae |
| 2 Aquae Helvetiae f | Baden; oppidum Helveticum celeberrimum ob fontes salubres |
| 3 porta Multeri | magna urbis Sancti Galli porta |

Martin Meier



Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. mera
2. bestias magnas (a Caesare descriptas)
3. umori nocturno
4. provincia Romana

Daniel Weissmann



Latinarum Internationalium Aedium propositum

Etsi per continuam saeculorum seriem Latina lingua inter gentes vinculum linguisticum fuit, nostro -heu!- saeculo XX^o multi ab illo more deerant, falso contendunt linguam Latinam mortuam esse obsoletamve, ei linguam Americanam substituunt.

Ut Latinitatem sustineamus, opus est istis ostendere Latinam linguam posse vivam esse; ad hoc modi et instrumenta sunt obferenda, quibus multitudo facile sentiat se ipsam posse, ut ita dicam, Latine vivere.

Optimus modus mihi videtur esse, si Aedes Latinae Internationales aedificentur: In eis et cives et peregrini viatores omnia, quaecumque ad usum quotidianum pertinent, invenire posse debent: Hanc ergo huiusmodi Aedium descriptionem exempli gratia talem adumbrare iam velim, qualem mihi mente fingo:

In magno aedificio, digno quod rei internationali aptum sit, decem equidem partes utiles iucundasque esse opinor (quae mea opinio, ut liquet, ab aliis mutari potest):

Prima aedium pars est amplum VESTIBULUM (quale in musaeis aliisque huiusmodi aedificiis solet esse): Hoc vestibulo adeuntes et intrant et, visitatione finita, exeunt. Iam prope fores, ut hi adeuntes statim legere possint, titulus in muro haeret hoc verbo Latine inscriptus: "VESTIBULUM". Si moderatores volunt non gratuitum sed venalem introitum esse, in hoc vestibulo mensa est, ad quam sedens aliquis tesseras vendit (super hanc quoque pendet titulus Latine scriptus: "Tesserarum mensa").

Utique in hoc vestibulo variae sunt mensae, in quibus merces venales expositae sunt: chartulae cursuales, in quibus imagines aedium et urbis sunt Latine inscriptae, libelli periegetici de aedibus ipsis et de regione Latine scripti, schedulae auto-adhaerentes (in autoraedarum fenestris vel in cellarum ostiis conglutinandae) et insignia fibulis munita (in vestibus inuncanda), in quibus inscriptiones Latinae sint huiusmodi: "Latine loquere, ut terrarum civis sis", vel "Latine loquor" vel "Latinitatem colamus in terrarum orbe" et alia similia. Aliae merces quoque venales hic esse debent, quas viatores sibi emere cupiant, ut itineris monumenta secum referant: amictoria collariique panni ("Halstücher") et thoraces similibus sententiis Latinis inscripta (sicut in multis tabernis adulescentes thoraces Anglice inscriptas inveniunt: nos aemulitate iusta incitati Latinas inscriptiones substituere in vestibus nostris debemus); in aliis huius vestibuli mensis, proponuntur merces nationales vel regionales, quaeque suo Latino titulo aucta: exempli gratia "theobroma" ("Schockolade") et "Gruarius caseus" et "montaneus caseus" et "placenta regionalis" et "horologia cuculantia" et cetera.

Secunda Aedium pars est "THERMOPOLIUM-CAUPONA" (suo Latino titulo intrantibus cognoscibilis): Ibi non solum potulenta esculentaque temporibus modernis nostris solita ministrari possunt, sed etiam hydromeli (quod deorum nectar esse olim dicebant) et passum et Apiciani cibi. Index potionum ciborumque Latine scriptus est (cui indici, si caupo vult, addi possunt conversiones in varias gentium linguas, ne qui viator parum doctus vitulinam carnem sibi adferri videat, etsi credebat se vini poculum iussisse!)

Tertia Aedium pars est "BIBLIOTHECA-TABLINUM": In ea collecti sunt libri Latini non solum antiqui, sed etiam et praecipue moderni (narrationes et carmina et ipsi nubeculatis imaginibus ornati libri), atque commentarii Latini variarum gentium varii, inter quos, ut liquet, "Rumor Varius". Ibi, sicut in quavis bibliotheca, sunt mensuales sedesque, ut lectores libros commentariosque commode evolvere possint.

Quarta pars est "AUDITORIUM", cellulis instructum: in eis auditores galeis auditoriis muniti phonodiscos vel phonocasetas Latinas audire possunt (phonocasetarum series iamdiu impresserunt et Societas Latina Saraviponti in Germania, et Societas Melissa Bruxellis in Belgio). Ibidem aliquae cantiones Latinae per totum auditorium quoque, ad appropinquantes alliciendos, diffundi possunt.

Quinta pars est "SPECTACULUM": Ibi magnetoscopium esse utile est, ut exempli gratia videocaseta proici possit, in qua in Belgio impressa est versio originalis Latina comoediae Plautinae "Rudens" inscriptae; ibi scaena est ad actores scaenicos cantoresque, et archiselliorum ordines ad spectatores auditoresque. Ibi aguntur et antiquae comoediae et opera musicalia Latinis textis facta (exempli gratia Stravinskyanus "Oedipus Rex"). In parietibus sunt tabulae de pelliculis cinematographicis Latinis (e. g. "Sebastianus" Latine factus est a Derek Jarmann) et de cantoribus, qui Latine cecinerunt (e. g. sic aliquando cecinerunt Cat Stevens et Michael Sardou et Felix Thiéfaine et Tony Santagata et Franco Nebbia et Julos Beaucarne).

Sexta pars est "CONGRESSUUM EXEDRA": Ibi haberi possunt publici congressus et convenire possunt quoque participes Feriarum Latinarum Seminariorumque Latinorum, qui quotannis, praecipue aestate, ex omnibus terris convenire solent ad Latine colloquendum. Ut tales conventus ibi haberi possint, opus est, ut liquet, participes facile hospitari in propinquis deversoriis (quod vero ad cibum attinet, iam caupona in aedibus est); inde certe magnus quaestus periegeticus urbi erit, cum viatores Latini huc confluant. In hac eadem exedra reliquo anno, si congressus non habentur, aliquis Latinam linguam modo vivo et orali quemvis docere potest (ut Romae et Bruxellis iam agitur).

Septima pars est "VITAE QUOTIDIANAE LOCUS": Ibi sub vitris exponuntur res variae, supellectiles instrumentaque, vestes machinamenta, quicquid in usu quotidiano nobis saeculo XX° est, quaeque res suo Latino titulo inscripta. Ad parietes suspendi possunt chartachae tabulae amplissimae, in quibus et corpus humanum et holera pomaque et domus et via et vehicula nostra et alias huiusmodi delineata et Latine nominata sunt. Sic facillimum fit cuilibet, quamvis Latinae linguae adhuc ignaro, rerum praecipuarum nomina cognoscere modo iucundo et celeri.

Octava pars est "LUSORIUM": Ibi ad maiores sunt complura ludicrorum antiquorum exemplaria (qualis est ludus latrunculorum et ludus duodecim scriptorum, qui in Germania cum explanationibus Latinis edita sunt) et mensulae sedesque, ut lusores ludere possint; ad minores (si e. g. parentes filiolos in lusorio linquere volunt, dum musaea perlustant) potest addi aliqui educator (qui rectissime "ludi magister" appellatur: nam ambae verbi "ludus" significationes de eo verae sunt: hic enim magister et lusus ducit et doctrinam dat): hic puerulos incitat, ut parvulis ludicris plasticis (quibus bestiae et villae et milites et agricolae ficta sunt) ita ludant, ut ea nominibus Latinis appellent (sich mos iamdiu fuit in Francogallia in "Schola Montessorri" de pueris quattuor annis solum natis: hac enim aetate mens humana aptissima est linguis subito discendis).

Nona pars est "HISTORICUM ET GEOGRAPHICUM MUSAEUM": Ibi sunt tabulae aliae antiquae, aliae modernae, in quibus describitur Imperium Romanum et hodiernus terrarum orbis nominibus Latinis notata; tabula quoque Helvetiae (si in Helvetia tales aedes aedificatae sunt) urbibus Latine inscriptis: Sic non "Zürich", sed "Turicum", non "Bern", sed "Berna" in his tabulis appellatur). Praeterea in hoc musaeo sunt quoque actorum diurnorum resegmina variarum gentium (vernaculis igitur linguis scripta, quorum conversio Latina addita est in papyro iuxtaposita), in quibus de Latinae linguae usu inter gentes scriptum est (e. g. mense Novembri anni 1979, cum Mario Capanna et Otto von Habsburg in Europaeo Concilio Latine locuti sint).

Decima pars est "IMAGINUM MUSAEUM": Ibi imagines aliae sculptae, aliae depictae sunt: praesertim imagines scripto-

rum, qui, etsi Latini non erant orti, Latine tamen scripserunt, vel in antiquitate (e. g. Terentius Afer, Seneca Hispanus, Ausonius Gallus erat: Cuncti Latine scripserunt) vel aliis aetatibus (e. g. Erasmus vel Thomas Morus inter permultos alios).

Has decem partes excogitavi, quibus aliquid aut addi aut detrahi potest pro sententia aliena. Maximi vero momenti hoc est, ut per hoc aedificium Latinitas non iam res paucorum doctorum, sed res in quotidiano multitudinis usu adhibita manifesto sit et perspicuum sit hanc Latinam linguam vinculum internationale esse (praesertim certe nobis Europaeis, qui tradita nostra a Romanis antiquis accepimus, sed ceteris gentibus quoque: Nam in omnibus terris sunt homines, qui Latine sciunt et hac lingua neutrali utantur ad internationales sodalitates).

At rebus internationalibus et omnium gentium sodalitati in plena neutralitate et aequitate Helvetia assidue favit et propter illud opus illustris est. Cur non igitur in Helvetia tales aedes internationales aedificentur? Opus est persuadere vel homines politicos vel homines argentarios vel homines Humani Cultus studiosos, ut hoc propositum in rem veram efficiant.

Quod si ita fuerit, humanissimae "Cruci Rubrae" et Genaven-sibus internationalibus officiis aliis Helvetia hoc etiam beneficium erga gentes omnes, quod Aedes Latinas eis obferret internationales. Quod in votis.

Genovefa Immé



Schola Magistra vitae

(Quaelibet sive personarum sive locorum sive temporum designatio fortuita habenda est).

Iam tertium annum Manlius Ricci, doctissimus idemque severus Graecarum Latinarumque litterarum praeceptor, discipulae suae, cui Carola nomen erat, intemperantiam ac dicacitatem patienter tolerabat. In scholam enim insolitis vestibus induta, capite novis tegumentis operto cotidie ire consueverat; magistro autem de quolibet argumento praecipiente, tabaci fumum, legis praescripto vetante, nulla conscientia mordente hauriebat; in indecoros cachinnos, nulla re cogente, pluries in die effundebatur comitesque, ut exemplum ipsius sequerentur, nescio qua vi suadendi usa facile inducebat. Neque vero ad Manlium unum hae, quas supra memoravimus, lasciviae effusiones pertinebant: pari enim procacitate atque impudentia cum ceteris quoque professoribus agere instituerat. Ubi autem in auditorium Manlius ingressus erat, quidquid praeceptor faciebat dictabatve, id maligna atque inverecunda puella hilaritatis excitandae gratia promptissime imitabatur: magistro enim pituita laborante ac sudario nares emungente, huiusmodi gestus confestim Carola exprimebat; si elatis vero concitatisque verbis Horatii carmina pronuntiata explanare ille coeperat, in complura menda modo fortuita modo voluntaria incurrens eosdem versus ipsa repetebat, magistri vocem striduliores atque asperiores ludibrio habens. Hic vero qua de causa nondum in Carolam severe Manlius consuluerit, iure quaesiverit quispiam: qui autem chirurgicae medicinae unus in urbe peritus existimabatur, ex eo petulans puella nata erat: stomachi igitur exulcerationis in singulos annos ingravescentis cura ut irae iam iamque erumpenti Manlius temperaret haud semel modo effecerat. Quodam vero mensis Decembris die irrisui discipulis esse Manlium repente pertaesum est: mater eius graviter aegrotans in valetudinario iacebat, pecunia, qua conductionis mercedi persolvendae opus erat, eheu, ipse carebat, stomachi inflammatione consuetudine acerbior excruciabatur. Ubi primum super sellam assedit: "Hodie", inquit, "nonnullos Quintiliani

locos vobis illustraturus sum." More solito, voce aspera stridulaque eadem verba Carola redintegavit. "Contumax quidem atque impudens es!" vultu subrubicundo Manlius inclamavit. Qui in eodem atque Carola lycio humanas litteras perdiscebant, alius ingenti admiratione affecti alium intuebantur: cum enim fere cotidiana id puella consuetudine factitaret, cur tantum, antquam in eam animadverteret, intervallum praeceptor interposuisset? Tantum vero aberat ut agrestis ac procax puella sese magistro purgare in animo haberet, ut contra par pro pari ipsi referre studeret. "Quo tandem animo", inquit, "me tam inurbane compellare audes? Tu quidem contumax atque impudens es! Officio tuo, quaeso, fungere neve amplius mihi molestiam attuleris!" Carola igitur, quasi ludificatio satis non esset, expressis in Manlium contumelias verbis iecerat. Tum vero per custodem nulla more praesidem, illum in schola adesse sperans, misellus praeceptor arcessivit: nam sive emptioni faciendae sive alteri privato negotio explendo intentus, plerumque aberat. Forte fortuna evenit, ut tunc vero adesset. A nulla re magis quam a discipulis poena afficiendis, praesertim si tam claro et gratioso patre nati erant, ille abhorrebat. Manlium, quae facta erant, narrantem fastidio quo cruciabatur ne minimum quidem dissimulans impatienter audivit: quo modo eadem Carola referret, quo minus cognosceret, haud recusavit; dein, vultu subdolo ac doloso: "Quae mehercule uterque vestrum narravit mirum in modum inter se discrepant; cur igitur unius potius quam alterius verba pronis auribus accipiam?" - "Praeceptoris videlicet officium suum optime explentis ac puellae immoderate insolentisque fidem auctoritatemque in promiscuo habes;" animose Manlius respondit. "Quae cum ita sint, licetne eam poena aliqua affectum iri sperare?" - "Mihi quidem non tam graviter in te peccavisse videtur, ut in eam animadverti oporteat: adde, quod paenituisse eam nec quicquam simile amplius facturam esse persuasissimum habeo." Peroportune accidebat quod agendi quadam quasi constantia Carola utebatur neque in quemquam, ne summa quidem auctoritate praeditum, officiosa esse solebat. Qua morositate erat, quasi contumeliam non alteri attulisset, verum ab altero ipsa accepisset, temperare sibi non potuit, quin in praesidem vel iniuriosiora maledicta cogereret, seque non modo paenituisse, sed

postilla eius quoque gestus in ridiculum versuram apertis verbis significaret. Brevissimo dein interiecto spatio, Carolae pater ut filiam, cui in quinque dies schola interdictum erat, secum auferret, in lycii sedem iratus intravit. Quae interdictionis causa fuerit scire vultin? Quia praesidis maiestatem, videlicet, gravi opprobrio laeserat.

Orestes Carbonero



Audaces fortuna adiuvat

I. Fuit quondam in regione longinqua re, nomine Cleanus, qui, ex complurimis bellis prospere gestis, praegrandem congegit thesaurum: quem, cum suis tradere vellet integrum, praecepit extruere cameram fornicatam maximeque praemunitam, ne quis unquam decursu temporum eam aperire posset. Quam tamen ita composuit, ut pars in murum palatii induceretur ibique promineret. Rex autem, cum omnia recte processisset, putavit thesaurum prorsus tutum esse, quin tamen incautus cogitaverit de iis, quae postea evenerunt. Nam faber, qui cameram struxit - futura fortasse praesciens - ita lapidem conformaverat et muro inseruerat, ut duo homines, ac vel unus viribus validissimus, sine nimio conamine illum extrahere posset. Cum autem praesensit se in exitu vitae vocari, filios vocavit eosque admonuit de ratione lapidem extrahendi et in eundem locum restituendi, et cum alia explicasset et monuisset, ut fieri possent secreti arcarii regis, tandem obiit. Heu! haec miseranda hominis condicio!

Liberi, nulla interposita mora - res per se patet - opus aggressi sunt, domum noctu circumierunt, lapidem facillime

invenerunt, quem eduxerunt, sed et magnam pecuniae summam abstulerunt.

Haud multos post dies, forte fortuna Cleanus rex cameram thesauri inspicere voluit: qui prorsus obstipuit cum magnam auri summam ex arce ablatam cognovit. Cum autem ostii repagula integra nec amota a loco vidisset et cameram clausam, quem accusaret nescivit, neque de quo suspicari posset. Quin etiam, res in peius ruit; facies eius cotidie immutabatur cum singulis diebus cameram adibat atque thesaurum perpetuo imminutum comprobabat. Neque tamen ab agendo destitit: ac ne fur placita sua ad exitum plane adduceret et in domum suam pacifice reverteretur, consilium iniit ad arcam compedes comparandi.

II. Pervulgatum illud axioma apud maiores novimus: "Effrenata cupiditas saepius in vitium vertit" - quod re nunc comprobatum est -. Itaque fratres serena quadam nocte palatium denuo petierunt, et cum audacior eorum in interiore camera irreperet et ad arcas - ut solitus erat - accederet, inopinato laqueo apprehensus est. Tunc intellexit se in summo quidem periculo versari et ad necem a rege petitum iri. Quare fratrem suum vocavit eique significavit gravissimam condicionem, qua implicabatur. Postea, ne quis ex vultu nosceret et ad regem quis esset referret, vehementi cohortatione fratrem incitavit, ut ad cameram caute introiret atque caput suum - id est latronis - amputaret. Siricus autem existimans prudentissimum esse consilium, fratrem iugulavit et, lapide in suum locum restituto, domum rediit.

Insequenti vero die, Cleanus rex in cameram ingressus magnopere perterritus est de horribili scaena, quam oculis adspexit. Nam corpus cuiusquam viri laqueo comprehensi atque decollati ante se iacebat eiusque sanguinem undique sparsum videbat: nullum tamen vestigium de aditu deque exitu percipiebat. Quare intellexit furciferum quendam in re inesse, qui se irridere vellet, et ideo statuit nullum laborem se omissurum, ut illud mysterium aperiret. Ideo corpus illius viri iussit de moenibus urbis suspendi atque quam diligentissime advigilari per fortissimos exercitus sui milites eo praesertim consilio, ut manus inicerent cuilibet flenti vel miserenti de sorte latronis. Quod tamen

propositum minime profecit... Nam haec impia condicio et aspectus filii mortui nullo modo tenerum matris cor non sauciare poterat. Quae cum vidit corpus filii ita mutilatum et suspensum, inenarrabili dolore afflictata, Siricum rogavit, ut illud sibi deferret, sin autem, nomen direptoris dixit se regi revelaturam. Quam ob rem Siricus, hisce minis quasi coactus, atque ad regis sagacitatem eludendam veluti pressus, multis consiliis excogitatis, hanc nexuit complicatam rem.

Duos emit asinos et, postquam singulos singulis utribus vino plenis oneravit, muros urbis petiit; ac, dum iter facit, asinos fuste agitabat et vehementer clamat; ad custodiam accedens, unum ex utribus aperit: et, cum vinum effusum vidit, ululat, caput sibi percutit, se stultum vociferans declarat, qui nesciat quo modo se gerere oporteat: utrum asinos verberet an vinum servet. Vinum effusum custodes vident et in auxilium hominis veniunt, cogitantes se tantum vini adepturos esse quantum colligere possent. Interim bonus ille vinarius se amplius ira flagrare simulat, iterum atque iterum asinis maledicit quadusque tandem milites, perhumanos se praebentes et in rei implicationem incidentes, eum quieta animi pace affecerunt. Tunc, extincta vini effusione et asinis de via sublatis, custodes cum vinario festiva colloquia conserunt; ipse vero, dum ridet cum ipsis, videt eos sitientes eisque vinum degustandum praebet: iique, dum iocosas fabellas narrant animosque relaxant, vinum prorsus exhauriunt. Omnes ebrii sunt, gravi somno oppressi in terra iacent ac penitus soporati decumbunt. Tunc ad multam noctem Siricum exspectavit ac periculo pro nihilo reputans, audacter cadaver fratris arripit, et non solum matris iussum explet, verum etiam custodes illudit, quorum barbam in dextra faciei parte tondet. Tandem, corpus fratris aufert eoque onustus se domum recipit.

III. Cleanus rex, cum certior de his factus est et cognovit se expoliatum esse, iram erumpentem vix frenare poterat. Ideo nihil moratus, ad nequissimum latronem quaerendum adiutricem operam Laydae filiae quaesivit, quae omnium erat callidissima. Quae cum patre consilia iniit, ut, qui ad tures moenium accederent, notitiam horum facinorum aperi-

rent. Quod si quis raptum nocturnum referret, confestim eum apprehenderent, ne furari posset.

Cum autem Siricus consilium regis cognovisset, iterum regem eiusque filiam illudere temptat. Quid modo machinatur? Audacissimus ille vir Siricus, qui Cleanum non timebat neque filiam verebatur, regiam rursus petiit, se veste viri morientis obtegit, cui bracchium amputatum erat. Mox ad custodes venit, qui ante portam palatii stationem agunt; rogat, ut in conspectum virginis regiae introducatur, cum Layda colloquium amice instituit, et brevi temporis spatio exacto - sicut ipsa solebat - ab eo petivit, quod esset callidissimum omnium facinus per vitam suam. Qui non dubitavit, quicquid patraverat, aperire: unde Layda, cum factum singilatim novit, statim in eum impetum facit, bracchia in bracchium fictum latronis inicit, eumque tenet quoad natura et vires feminae valent: ille autem in fugam se subducere potest.

Spes regis paene exstinguebatur, siquidem tanta furi inerat sollertia: nulla prorsus ratio suppeterat, ut eum caperet. Quapropter Cleanus, qui nemini se submittere patiebatur, surgens de solio et magna percussus admiratione, edictum regale per universas regni civitates promulgare decrevit, quo latroni non modo peramplam largiebatur veniam, sed etiam copiosa offerebatur dona, dummodo coram rege se ipse conspiciendum daret.

Iam vero Siricus minime veritus est ad portas aulae regiae ire, cum honestati Cleani fideret. Interea matris timorem mitigat, eius consensum rogat, quae et annuit; in conspectum regis se praebet, dum anxius secum volutat, quae sibi propediem immineant. Eo momento, quo ipse praesens adfuit, omnium animis gravissima ingruit exspectatio et altum silentium omnia tenuit. Tunc demum rex Siricum ante se conspexit; Cleanus tamen aciem oculorum in eum minime defigit, sed anxia dubitatione iactatur: nam, etsi primum ultionis cupiditatem in animo erumpere sensit, postea tamen eum minime consulendum censuit; quin immo putavit agi de viro omnino singulari. Ex quo mirum non est, quod Cleanus, ductus animus potius honorandi quam puniendi, Laydam, filiam sibi carissimam, Sirico nuptui daret. Unde factum est, ut admirantibus aulicis rex altum silentium rupit

atque e solio hoc nuntium dedit: "Gaudium magnum nuntio vobis: Layda cum hoc viro conubio iungetur!" Quo nuntio audito omnium plausus consecutus est: qui magnopere invaluit cum Siricus manum virginis regiae sumpsit, iterum iterumque omnibus plaudentibus. Re vera ipse tunc vel maxime comprobavit firmissimo argumento **audaces**, qui consilio et virtute, vi et sollertia ornantur, hos **fortuna semper adiuvere**.

Felix Arocena



Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. nomen feminarum
2. gerere
3. potentiam civitatis obtineat
4. furore incensa
5. saeculum

Daniel Weissmann

AMATORIA CANTIO

Quod pressis retines palmis,
mi Amor, te amo;
quod mordes avidis labris,
mi Amor, te amo;
et quod gaudia tu carpis
et simul gaudeo;
Tu vis es mea vitalis;
Mi Amor, te amo!

Mi coniux es amatorque,
mi Amor quem amo;
idem frater amicusque
-mi Amor, te amo!-
Es quicumque flagrans fervor,
quisquis ardens amor;
Es pro me pater infansque;
Funditus te amo.

Quod rides mediis morbis,
mi Amor, te amo;
quod res amplificas somnis
fictionis modo;
propter mollitiam cordis,
spiritu pro tuo,
et pugnas quod adis fortis;
quantus es te amo.

Cum caecis oculis spectans
dulce mendax sonas;
"Miror quam ciniflo praestans
ad struendas comas",
cum erras manibus palpans
in meo cirrulo,
et quod non spicis allaudas,
mi Amor, te amo!

Chanson pour mon amour

Pour ta main qui serre si fort,
mon Amour, je t'aime;
ta bouche gourmande qui mord,
mon Amour, je t'aime;
pour la joie au fond de ton corps
et de mon corps même;
tu es ma force et mon essor;
Mon Amour, je t'aime!

Tu es mon amant, mon mari,
mon Amour que j'aime;
tu es mon frère et mon ami
-mon Amour, je t'aime!-
tu es pour moi en même temps
tout ce que l'on aime;
mon père et mon petit enfant;
Je t'aime totalement.

Pour ton rire et pour tes douleurs,
mon Amour, je t'aime;
pour tes grands rêves de hâbleur
à l'italienne;
pour ton esprit et pour ton coeur,
mon Amour, je t'aime;
pour ta volonté de lutteur;
tout entier je t'aime.

Quand malgré tes yeux sans regard
pourtant tu murmures;
"Voyons un peu le nouvel art
de cette coiffure!",
quand ta main tâtonne au hasard
dans ma chevelure,
louant le coiffeur sans me voir;
mon Amour, je t'aime!

Tantis artibus ornatum,
mi Amor, te amo;
quod iussit Deus et fatum,
mi Amor, te amo.
Ad totam solidam Vitam
sic Amor te amo;
posthac exanimo utroque
te amabo quoque.

Hoc carmen bilingue unum est e multis, quae Genovefa Immé composuit et collegit in libro, qui inscribitur "**Periegesis Amatoria, Voyage d'Amour**". Hic liber (qui 216 paginas continet et constat nummis Francogallicis 98, quibus 20 nummi addendi sunt ad sumptus cursuales) venalis est apud editorem **TARMEYE**.

Qui igitur librum emere cupit, is debet pecuniam per mandatum cursuale internationale mittere ad hunc mandatorum cursualium computum: Edit. Tarmeye, 1964 34 M Clermont Ferrand (France), et simul hoc epistulum ad editorem (Editions Tarmeye, F-43520 Mazet-Saint-Yoy, France), scribere: "Je veux acheter "Amatoria Periegesis", de G. Immé. Je vous envoie ce jour 98+20=118 FF par mandat postal international à votre compte."

Nomen:..... Praenomen:..... Inscriptio cursualis: (via et numerus)....

codex cursualis:..... Urbs:..... Natio:.....

Die:..... Subsignatio



Pour tout ça et pour encore plus,
mon Amour, je t'aime;
parce que Dieu l'a voulu,
mon Amour, je t'aime.
Qui je t'aime, et c'est pour la Vie
que vraiment je t'aime,
et quand tous deux nous serons morts
je t'aimerai encore.

Genovefa Immé



Facete lepideque dicta

Aliqui professor emptionibus factis domum revertens animadvertit se umbrellam alicubi reliquisse. Itaque omnes tabulas adiit, ubi antea fuisset. In septima tandem taberna venditor umbrellam ei reddidit. Tum professor: "Maximas gratias tibi ago!" ait. "Tu es primus homo sincerus honestusque, quem hodie occurro. Alii sex enim omnes negaverunt umbrellam meam apud se esse."

Magister: "Didicimus ergo cerebrum virile maius esse quam muliebri. Quid ex hoc facto concludendum est?"

Discipula: "Apparet quantitatem non tanti esse!"

E professore philosophiae studiosus quaesivit, quomodo notiones 'temporis' et 'aeternitatis' definirer. Tum professor: "Si tempus mihi sit, ut id tibi explicem, aeternitas tibi necesse esset, ut comprehendas."

Legatus officii secreti (1) Russiae, quae antea 'KGB' nominabatur, nomine Ligatschoff in urbem Hierosolyma (Jerusalem) missus est, ut ibi socio cuidam nomine Morgenthau nuntium secretum traderet. Cum Ligatschoff Hierosolymis ad illam insulam (2), quae ei designata erat, advenit, vidit ibi duos viros nomine Morgenthau habitare. Itaque apud

primum tintinnabulum movit et signum secretum (3) dixit: "Stellae exstinguuntur, si nox stillis roris cessit." Sine mora Morgenthau respondit: "Certe exploratorem (4) quaeris; qui in superiore contabulatione (5) habitat."

In exercitationibus pugnas simulantibus (6) miles quidam a centurione emittitur ad explorandum, num pontem transiri possit. Iussu peracto miles revertit et nuntiat: "Mi centurio, vehiculis quidem ille pons transiri potest, peditatui autem non." Centurio: "Quid? Si pons curris loricatis (7) transvehi potest, puto eum certe pedites quoque iter facientes sustenturum esse." Miles: "Certe sustinebit. Sed pedites transire nequeunt, quod medio in ponte canis magnus sedet."

Aliquando educator militaris (8) e tirone quasivit: "Finge te noctu in custodia stare et obscuram figuram videre ad castra repentem. Quando telo ignifero (9) uteris?" Tiro: "Primum illum praefectum in conclave eius prosequor."

* * * * *

Criticus aliqui picturam a Pablo Picasso confectam titulo "Defectio prima a lege divina" (10) spectans: "Si hanc Evam intuemur", inquit, "interrogatio nos occurrit: Quo modo id accidere potuit?"

Ab iudice interrogatus, num causas ad poenam minuendam interponere posset, reus respondit: "Id ipsum non possum. Sed peto a iudicio honorabili, ut iuventutem et imperitiam causidici mei respiciat."

Raptoris argentariarum filius ad disciplinam violinae venit. Riscum violinae aperiens pistolium machinale invenit. "Mehercle!" perterritus exclamat. "Nunc pater cum violina mea in argentaria stat!"

Mulier quaedam ad vicinam: "Ex quo sacerdoti nostro narraui maritum nostros liberos futuros ad atheistas educare velle, mihi permisit pilulam anticonceptivam sumere."

Emptor in fabricam supellectis veniens queritur: "Sella, quam heri apud vos emeram, hodie iam corruit!" Venditor brevi meditatus tandem: "Quam rem miram! Num quis in ea consedit?"

Num quis illud genus iuvenum ignorat, qui vestibus scorteis induti autobirotis (11) circumvehuntur et lingua nostra "Rocker" nominantur? Quattuor illius generis iuvenes in deversorium stratae autocineticae irruunt et ante raedarium autocineti onerarii, qui esurus ad mensam sedet, se collocant. Primus "Rocker" poculum raedarii capit et ebibit. Secundus copadium (12) de catino (13) arripit, tertius acetaria (14) comedit, quartus terrestria poma fricta (15) eripit.

Raedarius nullo verbo dicto solvit et e deversorio exiit. Brevi post alius raedarius intrat, cui unus ex istis iuvenibus statim: "Collega tuus", ait, "qui modo exiit, re vera homo ignavus est." Tum alius raedarius: "Certe ita est, et praeterea pessimus raedarius est: Modo autocineto onerario suo retro vehens quattuor autobirotas comprimens omnino delevit."

* * * * *

Gubernator civitatum (16), architectus medicusque de gravitate negotiorum suorum certant. Medicus: "Vos omnes scitis Adamo iam costam exemptam esse. Itaque nos medici -- "Non ita est", architectus eum interrumpit. "In principio omnia vasta et vacua erant, et nos illud chaos disposuimus." Tum gubernator: "Et quis chaos creavit?"

Rogatus, ut pecuniam multam accepturus orationem haberet, poeta quidam recusavit dicens: "Nolo lucrum faciendo tempus terere!"

Aliquando in urbe Las Vegas congressu investigatorum physicae nuclearis (17) habito vesperi ludo alearum (18) investigatores se dederunt. Unus ex iis maxima temeritate lusit. Duo collegae eum contemplabantur et alter: "Ille ludit", ait, "velut si cras mundus interiret." Tum alter pavidus: "Forsitan plus scit quam nos."

Nimitz, praefectus classis Americanae, in caupona praefectorum hospes imperatoris Mc Artur erat. Centurio quidam, qui otio utebatur ad vitam insectorum studiendam, multa de tarmitibus (19) narravit, quae tum in castris militibus multas molestias afferebant. Iterum iterumque tarmites laudabat: "Eis optima administratio et exercitus efficax promptusque est; in nonnullis rebus nobis superiores sunt." Tum Nimitz: "Haec omnia minimi sunt, dum classis eis non sit!"

Ad praefectum fabricae autoraedarum construendarum vir maxime iratus venit. Voce minante interrogat: "Estne verum in fabrica tua contigisse autoraedam minore tempore quam una hora confectam esse?" Praefectus: "Ita est, et - ut certe comprehendis - hac re maxime superbimus." - "Ecquidem autem nullo modo!!" vir saevissime exclamat: "Nam istam autoraedam emi!"

Dominam Luciam taedet epitoniorum aquariorum (20) stillantium. Itaque fabrum hydraulicum (21) advocat ad epitonia restituenda. Cum ille ad tempus compositum non adveniret, domina Lucia domum reliquit ad emptiones faciendas. Vix abierat, cum faber hydraulicus advenit. Illo ante portam stante psittacus dominae Luciae loquendi peritus e domo interrogavit: "Quis adest?", et ille respondit: "Faber hydraulicus sum." Iterum iterumque psittacus interrogabat: "Quis adest?" et iterum iterumque idem responsum, voce semper impatientiore stomachiosioreque, accipiebat. Tandem domina Lucia revertit et ante portam virum omnino defatigatum invenit. Stupens eum interrogat: "Quis es, domine?" et vox furiosa e domo crociens auditur: "Faber hydraulicus sum!"

Accidit, ut officialis (22) non octava hora, ut debuit, sed nova hora in officinam adveniret. Tum officii praefectus iratus clamavit: "Oportuit te hora octava hic adesse!" Ad ea officialis curiosus: "Qua de causa? Quid memoriae dignum hora octava hic accidit?"

Daniel Weissmann

1 officium secretum , -i	Geheimdienst/service secret/secret service/servicio secreto
2 insula, -ae	Wohnblock/immeuble/block of flats/bloque de viviendas
3 signum secretum, -i	Geheimcode/code secret/secret code/signo secreto
4 explorator,-oris	Spion/espion/spy/espía
5 contabulatio,-onis f	Stockwerk/étage/floor/piso
6 exercitatio pugnas simulans	Manöver/manoeuvre/maneuver/maniobras
7 currus loricatus, -i	Panzer/char blindé/tank/tanque
8 educator militaris, -is	Instruktor/instructeur/instructor/instructor
9 telum igniferum, -i	Schusswaffe/arme à feu/firearm/arma de fuego
10 defectio prima a lege divina	Sündenfall/péché original/fall of man/pecado original
11 autobirota,-ae	Motorrad/moto/motorcycle/motocicleta
12 copadium, -i	Schnitzel/escalope/escalope/filete
13 catinus, -i	Teller/assiette/plate/plato
14 acetaria,-ium	Salat/salade/salad/ensalada
15 terrestria poma fricta,-ium	Pommes frites/pommes frites/chips/patatas fritas
16 gubernator,-oris civitatum	Politiker/homme politique/politician/político
17 investigator physicae nuclearis	Atomforscher/scientifique atomiste/nuclear scientist/científico atómico
18 ludus, -i alearum	Glücksspiel/jeu de hasard/gambling/juego de azar
19 tarmites, -um	Termiten/termites/termites/termitas
20 epitonium aquarium, -i	Wasserhahn/robinet/faucet/grifo
21 faber hydraulicus, -i	Klempner/plombier/plumber/fontanero
22 officialis, -is m	Angestellter/employé/employee/empleado

Facete lepideque dicta

Iuris consultus cognatis alicuius viri divitis vita defuncti verba testamento eius inscripta profert: "Fridericum autem, cuius nomen me in testamento meo nominaturum esse promisi, cordialiter saluto his verbis: Cura, ut semper valeas! Vale!"

Vir medico psychiatro "Animus uxoris meae", inquit, "semper infantior fit. Heri, ut exemplum dem, cunctas naviculas meas, quas papyro confeceram, mersit, cum in balneo sederem!"

Filius in horto zoologico cum patre suo aliquo morbo pedum affecto ante carcerem leonum stans interrogat: "Qua tramvia domum revertar, o pater mi, si hi leones carcere evadent?"

Alter: "Gaudebasne feriis tuis in Graecia peractis?"

Alter: "Maxime!"

Alter: "Eratne tibi difficile lingua Graecorum loqui?"

Alter: "Minime, sed difficillimum erat Graecis ea intelligere, quae dixissem."

In balneo publico alter timida voce ex altero quaesivit: "Patetne aqua in hoc balneo multum in altum?" Tum alter respondit: "Aquam minime in altum patere puto; nam capita eorum, quos in hoc balneo natare vides, nulla vides nisi ex aqua eminentia!"

Pater filium interrogavit: "Quomodo te hodie in schola gessisti? Erasne probus?" Tum filius: "Profecto - hercle - probus eram! Quid enim a magistro condemnatus, ut per totum diem in angulo auditorii starem, in schola improbi committere potuissem?"

In strata vir, qui birota vehens puerulum magna voce clamantem secum ducebat, a pedite praetereunte interrogatus est: "Cur puerum istum miserrime clamantem birota vehis?" Cui respondit: "Quod birota tintinnabulo caret!"

Iudex: "Hodie mihi omnia a te aliter commissa esse narras ac heri, reus! Cur ita facis?"

Reus: Ita facio, quia ea, quae tibi heri narraveram, non vera esse putavisti, mi iudex!"

Udalricus Aeschlimann



De feriis autumnalibus in Hispania actis

Meta, uxoris meae amica, nos invitavit, scilicet uxorem meam meque, ut secum ferias autumnales in Hispania ageremus, ubi in villa sororis suae, quae in Helvetia manere deberet, habitarem. Itaque sexto die a. id. Octobres automobile grande escendimus et viginti horis post ad illum locum advenimus, qui Hispanico nomine vocatur "Cabo de la Nao" et sexaginta plus minus kilometra in directionem septentrionalem ab urbe Alicante est situs. "Cabo de la Nao" in media altitudine situs, valde extensus est et quasi opertus inter pinus, palmas aliaque virgulta mediterranea, ubi singulae villae habitantur a peregrinis, imprimis Germanis Helvetiisque, qui miti tempore anni illuc rusticatum advenerunt. Omnis regio prope mare mediterraneum sita herbarum et arborum incrementis (Vegetation) abundat prospectumque in mare praebet magnificum.

Meta nostra, quae iam antea ferias illic egisset, vicinos quosdam cognovit Helvetia vel Germania oriundos, quibuscum vesperi saepe in nostram vel in eorum villam conveniebamus lingua Helvetica confabulatum neque vino abstinebamus, immo vero interdum tantum vini sorbebamus, ut sub mediam noctem non iam plane sobrii cubitum iremus.

Interdum autem, cum caelum semper serenum esset, ad mare descendebamus natatum ibique per aliquas horas in litore morantes voluptatem capiebamus. Prope litus propina (Restaurant) erat, cuius in horto sub arboribus semel atque iterum ad cenandum sedebamus. Cibus, qui Hispanice "Paëlla" vocatur, sapore erat exquisito, ita ut quisque nostrum

alteram "Paëllam" concupisceret alteramque lagoenam vini illius, quod "Rioja" vocatur optimumque iudicatur. Post cenam autem illic habitam nobis placuit aliquando loca alta vicina conscendere. Via satis commoda et ardua in rupes altas duxit, unde habuimus prospectum in mare vastum et in colles altitudinesque circa silvestres. Quieti nos dedimus eratque operae pretium illuc ascendisse. Postea descendimus negotium (Geschäft) petitori ad cibaria emenda neque umquam deerat vinum cibariis nostris, quod egregium esset et pretio modico emptum. Cum autem distantia a mari et a domo nostra usque ad negotia esset satis magna, iam a principio automobile conduxeramus, ita ut celeriter commodiusque totam regionem perveheremur.

Aliquando vicinus quidam, nomine Zbinden, homo Helvetius quoque, vir amabilis et affabilis, automobili suo nos vexit per vallem propinquam et desertam in vicum "Guadalest", situm in regione montana, distantem a loco nostro automobili vectis horas duas. Quo in vico alicuius arcis solarium (Terrasse) descendimus, unde prospectum habuimus in vallem profundam, paene desertam, at incrementis arborum herbarumque abundantem meridianae regionis, attamen aspectu tali, ut nobis in memoriam reduceret regionem quandam alpestrum. Postquam ab arce illa descendimus, feminae, scilicet uxor mea et eius amica Meta, libentissime morabantur in negotiis, semper promptae ad emendum memorabile quoddam. Quamvis me taederet emendi cupiditatis earum, tamen illas semper sum secutus, ne amitterem vestigia earum, usque ad punctum, ubi dominus Zbinden nos monuit tempus esse revertendi. Nullo verbo, sed vultu gratias ei dixi. Tum tandem ad "Cabo de la Nao", domum nostram, revertimus.

Qui notitiam Metae nostrae habet aliquam, sciet eam semper esse sedulam, promptamque ad agendum utile aliquid. Quin etiam post prandium, cum Agneti, uxori meae, mihique desiderium esset quieti nos dandi, Meta in hortum exiit, ut aliquid purgaret et in ordinem redigeret. Ego, cum eam viderem in scalis (Leiter) stantem et a parva arbore folia mortua desecantem, ego quamvis piger et quietis indigens, decurri ad eam, ut scalas tenerem, ne laboretur. Meta me sibi assistendae auxiliumque ferenti promptum esse videns gavisus est, quamvis suspicaretur me non humanitate, sed

desiderio vicinitatis suae esse commotum. Attamen contenta erat me advenisse et toleravit me sibi esse vicinum. Minime per mediam horam eius scalas firme tenebam nullum verbum proferente nec Meta neque me, sed non nego me ab loco inferiore habuisse gracilem eius aspectum. Postremo labore peracto de scalis descendit, id quod dolebam, et postea ad cenam uniti, uxor mea, Meta et ego, hilariter cenavimus nullo signo dato illius sentimentis, quod antea habuissem, neque erat, quod signum darem rei, quae spe plane esset destituta (hoffnungslos).

Sub horam post meridiem quartam iterum nobis placuit automobili ad mare devehi vestibus balneariis indutis apricatione usuris et nataturis. Illic quoque Meta nobis fortior erat et prima in mari natans visa est, Agnete paulo post sequente, at ego, quod invitus confiteor, permultis lapidibus, qui in litore iacerent, absterritus sum, ne pedibus nudis aquam inirem. Itaque quamquam cinctorio balneari iam eram indutus, tamen diu stabam statucae similis in loco harenoso aquam inire cunctans, quoad Meta renatans alta voce me irrisit se ipsam me multo animosiores sentiens. Tum porro cunctari me pudebat et, quamquam lapidibus laesus, in aquam progressus sum. Postea autem, cum in horto tabernae sedebamus, Meta cunctationem meam irridere perrexit me dicens re vera cunctatoris nomine esse dignum. Cui verbo cavillanti (spöttlich) ego satis stulte respondi, parum armatus qui sim contra muliebrem ludibrium, pedes mihi esse sensibiliores quam plurimis, quo responso nihil aliud assecutus sum nisi, ut etiam magis ridiculum me redderem. Et Meta: "Si tacuisses, philosophus mansisses." Egoque tandem: "Nihil habeo, quod addam."

Doris, mulieris meae amica, antequam in Hispaniam proficisceremur, dixerat dominam Tomasi, magistram suam linguae Russicae, isdem diebus ac nos Deniae, in oppido nobis vicino, ferias agere. Itaque nobis in animo erat illam dominam salutandi causa visitare. Post meridiem Deniam automobili vecti sumus et, quamvis Doris domicilium eius nobis declarasset, Deniae, loco late patenti, per horas duas nobis erat circumvehendum iamque prope desperandum erat nos illam dominam umquam posse reperire, cum in angustam quandam viam invecti feminam nobis ignotam convenimus, quae interrogata, ubinam domus dominae Tomasi esset,

respondit paulum subridens, nos hic iam esse ante eius dominae domum. Valde gavisi et relaxati automobile illic collocavimus et per portam ferream intravimus in hortum, ubi domum quasitam conspeximus, et casu eo temporis momento domina Tomasi in hortum exierat. Interrogata, nonne novisset dominam Tomasi, hilariter respondit istam dominam esse se ipsam, sed se mirari, unde advenissemus. Certior facta nos esse Helvetios Turici habitantes, nosque salutem nuntiare verbis dominae Gloor, eius discipulae linguae Russicae, amicae nostrae Turici habitantis. Vix nomen "Gloor" audiverat, cum gaudio paene exsultavit nosque statim ad merendam in domum suam invitavit.

Itaque in horto eius per duas horas iucunde garriebamus de multis maximeque variis rebus, de difficultatibus etiam, quas habuissemus domus eius reperiendae. Domina Tomasi, origine Russa, multos annos Vindobonae (Wien) habitavit et lingua Germanica melius quam nos loquitur. Praeterae intelleximus eam etiam ad loquendum Francogallica et Hispanica linguis esse sollertissimam.

Paenultimo feriarum die, id est undevicesimo die mensis Octobris, et ut Romanorum modo scribam: a. d. tertium decimum Kal. Nov. sub horam post meridiem septimam nobis eundum erat ad deversorium nomine "Parador", ubi automobile grande nos exspectavit, ut nos Turicum, in patriam nostram, veheret. Miti, calida fere tempestate profecti sumus, sicut etiam tum quasi aestas esse videretur, et duodeviginti horis post, cum apud Genavam intrabamus Helvetiam, quam improvisam rem conspeximus! Montem Iuram nive opertam! Et duabus horis post, cum Turici automobili grandi exiremus, ventus frigidus hibernalis nos affalvit. Turici sumus, in patria nostra, vale Hispania calida, quae nunc es longinqua! Proximo autumnio fortasse iterum te visitabimus!

Emanuel Bernard



De nemoris iudicio

Personae

Silvanus pater
 Faunus
 Brumulus ursus
 Paulus dominus
 Pastor servus
 Mercator
 Dryadum chorus
 Amalthea una ex Dryadibus

Scaena I

In nemore sumus: avium cantus, fontis scatebra audiuntur.

Dryades : Videte, ut tempestas arrideat.

Nulla usquam nubes conspicitur.

Nemoris umbra, prata viridia, fontium scatebrae

Animis pacem afferunt.

Faunus : Hui, tot virgines formosae! Miror, quae puella hodie praeda mea sit.

Dryades : (diffugiunt) Cavete Faunum, cavete Nympharum corruptorem!

Silvanus: (intrans; ad Dryades) Quid istuc, quaeso? Nemus hoc magno clamore impletis. Patrem vestrum somnum capere non sinitis. (Faunum videt) Semper insolentem ludum ludis, impudens. Desinas ineptire.

Faunus : Turpe est nescire puellas ludere, ut ait Ovidius noster.

Silvanus: Tace sodes.

Dryades : (Silvanum circumstant) Salve multum, Silvane. Ut ludis nostris intersis.

(caelum nubibus obscuratur)

Voces post scaenam audiuntur:

Mercator: Magnam pecuniam e nemore rediges, domine.
 Paulus : (intrans) Immo vero magnus fructus tibi ostenditur, amice. Arbores hae pulcherrimae sunt.
 Mercator: Materia optima ad naves aedificandas mihi opus est. Arbores inspicere velim (digitis aliquam arborem tangit). Quercus haec truncum bonum habet. (tangit alteram) Fagus illa mihi placet. (tangit Silvanum) Ista contra muscosa putridaque videtur. Minimi pretii est.
 Paulus : Est arbor vetustissima nemoris. Ceterae autem robustissimae sunt.
 Mercator: Verisimile dicis. Proximis diebus servi mei arbores caedent. Tum plaustra mittam materiam amotum.
 Paulus : Bene facis. Nemus hoc libenter vendam. Voluptatibus obsequens Romae vitam sumptuosam ago. Pecunia egeo.
 (exeunt ridentes)
 Dryades : Heu nos miseras. Immatura morte occumbemus. Homo iste cupiditate pecuniae ardens naturam rerum pro nihilo habet.
 Silvanus: Pro sancte Iuppiter! Hoc in nemore totam vitam honestissime egi. Nunc aetate confectus e patria expellor. Malo de vita decedere quam in aliena civitate peregrinari.
 Faunus : Equidem non modo domicilio iucundo, sed etiam puellis lepidis privabor. Plagam hanc tacitus non accipiam.
 Dryades : Dolore ardemus. Indignatione exardescimus. Ad poenam hominem importunum repetimus.
 Pastor : (accurrens) A conspectu abditus omnes res audivi. Facinus domini mei non admittam. Equidem perdam loca haec umbrosa, ubi sub fago alta iacens fistula canere soleo. Nostrum sane erit fortiter repugnare.
 Ceteri : Dic, quid faciamus, optime?
 Pastor : Statim consilium petam a Brumulo urso, amico nostro. Puer callidissimus est. Nolite desperare. Mox redibo. (exit)

Dryades, Silvanus, Faunus humi sedent. Modi musici tristes audiuntur. Pastor Brumulusque intrant. Ursus ex olla fictili mel eximit.
 Pastor : (ad alios) Videte iam illum, quem exspectatis. (ad Brumulum) Age, amice, satis morarum.
 Brumulus: (mel edens) Nihil iucundius est quam mel edere. Melle eso vita dulcior esse videtur. Res acerbae non iam acerbae sunt. Nihil iucundius est...
 Silvanus: Brumule optime, res non sinit, ut personam philosophi induas.
 Faunus : (iratus) Iam taedet me sessionis. Caput agitur, urse. Adiuva nos aut consilio aut re!
 Brumulus: Placato stomacho propius rem accedam. Omnia fert tempus. (Mel edens) Ha aliquid boni mihi iam occurrit.
 Omnes : Dic, obsecramus!
 Brumulus: Mittite, nihil est.
 Omnes : Eheu...
 Brumulus: Ha, iterum aliquid boni in mentem mihi venit.
 Omnes : Enecas, optime.
 Brumulus: Agedum, Amalthea, ubi es?
 Amalthea: Adsum, amice. Quid est?
 Brumulus: Nonne est puella pulcherrima? Paulus dominus autem mulieres pulchras valde amat. Igitur Amalthea speciem humanam adhibebit et domino deambulanti obviam ibit. Paulus amore eius capietur. Puella eum noctu in nemus inducet. Nos autem furciferum comprehendemus.
 Omnes : Optime dixisti.
 Amalthea: Equidem rem diligentissime curabo.
 Silvanus: Facile credo. Non licet autem Amaltheam hac in re damno affici.
 Brumulus: Damnum non accipiet, amice. Ego sane noctu partes puellae agam.
 Dryades : Eris sane Amalthea pulcherrima!
 Brumulus: Opera dabitur.
 Pastor : Tibi adero, amice. Sequere nos, Amalthea. Hodie Paulus, dominus meus, te cognoscet. (exeunt)
 Dryades : Nunc necesse est stare aut occasurum.
 Faunus : Faustis omnibus vos prosequimur.

Scaena III

Paulus deambulat. Pastor et Amalthea eum e latibulo observant.

Paulus : Quam iucundum est deambulare bonis negotiis gestis. Ambulatiuncula stomachum acuet.

Pastor : (ad Amaltheam) Nunc eum adi!
(Amalthea vestem filiae pastoris sumpsit. Cantans flores carpit).

Paulus : Pro Iuppiter, puella haec vere lepida est. Pastorum domina esse videtur. (ad puellam) Equid gratum mihi facies, omnium puellarum pulcherrima?

Amalthea: Cupio.

Paulus : Accede propius, quaeso, ut te merito admirer.

Amalthea: Ecce me.

Paulus : Quam oculi tui vigent. Acriter me commovent. Numquam autem te his in locis vidi antea.

Amalthea: Me iam vidisti, domine. Aliam speciem autem prae-bui.

Paulus : Mehercle, puella, quas partes tu nunc agis? Sine, quaeso, ut te colam.

Amalthea: Hoc difficile factu erit, domine. Mihi enim est quidam amator molestissimus. Si nos deprehenderit, de nobis actum erit.

Paulus : Non oportet nos deprehendi. Noctu huc conveniamus.

Amalthea: Immo magis hoc in nemus.

Paulus : Esto! Qua hora autem?

Amalthea: Media nocte prope Egeriae fontem.

Paulus : Mehercle, puella, pavidam non es.

Amalthea: Non sum. Tu autem pavidus es?

Paulus : Amabo. Cur pavidus essem? Dominus nemoris huius sum. Quod cras arboribus nudabitur.

Amalthea: Interim hoc in nemore secunda fortuna uteris... Te amore amplectar. (ridens abit)

Paulus : O di immortales, nox vero divina erit! (exit)

Pastor : (ad puellam) Bene egisti, Amalthea. Furcifer noctem memorabilem vivet.

Scaena IV

Sumus in nemore. Est media nox. Vox dulcis puellae auditur:

"Per silentium huius noctis, te exspecto, animam meam. Ardentissime te spectare cupio. Ubi es, mea vita?"

Paulus : Quam dulcis est vox illa. Eam bene agnosco, est vox filiae pastoris. Cur nunc taces, puella? Paulus te flagrantissime exspectat.

(Brumulus apparet indutus velaminibus)

Ah, ecce illam... Aliquanto crassior autem mihi videtur. Cur tot vestimentis induta est? Nox est tepida. Veni huc, puella mea. Paululus tuus iam diu adest.

Brumulus: (voce inflexa) Libenter advenio, Paulule.

Paulus : Vocem eam non agnosco.

Brumulus: Facile credo, nam aura nocturna vocem mutavit.

Paulus : O amantissima, te amplexu meo fovebo (Brumulum amplectitur). Ha, quis est? Amalthea sane non est.

Brumulus: Recte iudicas, furcifer, ego enim Brumulus sum, ursus nemoris.

Paulus : Ha, proditus sum. Actum est de me.

Dryades, Faunus, Silvanus e latebris prorumpunt Paulumque circumstant.

Dryades,

Faunus : Nunc te in potestate nostra tenemus. Penitus a natura recessisti, quae ulciscetur te pro acceptis iniuriis.

Silvanus: In iudicium adduceris.

Omnes : In iudicium, in iudicium!

Scaena V

Iudicium in nemore redditur. Nemus totum vocibus sonat.

Silvanus: Silentium, quaeso. Summo iure cum reo agamus. Quis nostrum iudex erit?

Omnes : (praeter reum) Tu, Silvane, partes iudicis ages.

Silvanus: Quis partes accusatoris obtinebit?

Omnes : (praeter reum et pastorem) Nos omnes.

Silvanus: Quis reum defendet?

Pastor : Ego patroni partes agam.

Paulus : Heu me miserum! Malum officium mihi tribuitur.

Iste neque legendi neque scribendi peritus est.

Faunus : Tace, stulte! Quaestio rei capitalis est. Indicta causa numquam rem facies.

Silvanus: Silentium! Iudicii dignitatem servate! Ut accusatores incipiant!

Dryades : Te, Paule, sacrilegi reum facimus. Deos deasque hoc ex nemore expellis.

Faunus : Te, Paule, accusamus, nam auri sacra fame adductus nemus hoc deleturus es.

Brumulus: Te, Paule, reum agimus, quod multas bestias silvestres cibo domicilioque privaturus es.

Dryades : Te, Paule, reum agimus, nam loca haec amoenissima pecuniae aviditate incitatus in perpetuum vastabis.

Omnes accusatores:
Es sacrilegus, es naturae violator, es animalium interfector.

Una vox : Ducamus eum ad supplicium!

Altera : Inter sicarios istum damnari licet.

Silvanus: Ut defensor dicat!

Pastor : Haud ignoro dominum meum quadam levitate animi commoveri. Prodigus voluptatumque cupidus est. Vir scelestus autem non est. Per multos annos gregem suum custodivi. Numquam Paulus me vexavit. Est homo mitis ingenii. Erga familiam suam semper humanum se praestat. Nemo est mortalium, qui sapiat omnibus horis!
Itaque rogo, ut res ad pactionem veniat.

Voces variae audiuntur:
Venia Paulo non dabitur!
Male narras, pastor!
Recte dicis, pastor!
Poenam capitis Paulus subeat!
Minuite iram!

Silvanus: Pax, quaeso. Adhibete humanitatem, qua homines non iam utuntur. Audiamus reum.

Paulus : Obsecro, mihi ignoscatis. Fateor me peccasse. Cupiditate lucri egi. Mores meos autem corrigere et emendare possum. Date mihi potestatem culpae redimendae

(Omnes silent)

Silvanus: Reum audivistis. Quid nunc censetis?

Amalthea: Cum hac in fabula partes singulares agam, licet mihi sententiam referre.

Silvanus: Probe! Ut paucis autem complecteris.

Amalthea: Planius dicam! Paulus temeritate atque inscitia rem fecit. Homo nefarius autem non est. Censeo eum ad iusiurandum adigendum esse.

Omnes : Perge, Amalthea!

Amalthea: Ut iuret licere hoc in nemore cum bona pace vitam agi.

Faunus : Nemus hoc in perpetuum conservari oportet. Quod testamento cavendum sit.

Brumulus: Ut Paulus iniuriam suam sacrificiis expiet et Silvano patri domi suae aram aedificet.

Dryades : Una voce et consensu id approbamus.

Silvanus: Sententias vestras audivi. Ut reus surgat. (ad Paulum) Paratusne es ad iusiurandum?

Paulus : In omnia verba vestra iuro. Inprimis autem iureiurando obstringo nemus id a me et a heredibus meis conservari.

Silvanus: Ergo sententiam feram: Paulus dominus homo liber domum eat promissa solutum.

Paulus : Gratias vobis ago maximas. Parem gratiam vobis referam. Te, pastor, manu mittam, nam a te vitam habeo. (ad ceteros) Vos oro, ut me in familiaritatem recipiatis.

Omnes : Libentissime tecum in amicitia erimus.

Dryades : Pacem mutuam cum summa fide colamus.
Commoda mutua defendamus,
Ne terra nostra umquam vi vitali egeat.

Brumulus: Ut homines semper gaudeant silvarum aquarumque salubritate.

Paulus : Ne bestiae umquam careant cibo et spatio vitae.

Silvanus: Vos, cari spectatores, exemplum nostrum sequamini, ut eventus ad spem respondeat.
Sit vobis iter laetum!

Barbara Maier

**Non licet hanc fabulam in scaenam producere nisi
permissione auctricis!**

Commercium Epistularum Latinum Europaeum

Te invitamus, ut commercium epistularum Latinum cum aliis hominibus totius Europae ineam. Ut ere hac occasione aliis discipulis, studiosis, linguae Latinae amatoribus diversarum nationum Latine scribendi, novos homines cognoscendi novasque amicitias per litteras condendi!

Tibi offerimus, si tua quoque commercium epistularum Latinum incohare interest, ut tibi aliorum hominum inscriptiones cursuales mittamus, qui tibi Latine respondere parati sint. Ut hoc fieri possit, schedulam inscriptionis appositam explere nobisque remittere debebis. Participatio **Commercii Epistularum Latini Europaei** gratuita est. Ut vero expensa nostra pro cursu publico minuantur, rogamus, ut symbolam circiter 5.- marcarum Germanicarum (DM) (i.e. 15.- Ffrs / 3500 Lit / 4.- SFr. / \$3.50 / £2) sive tesseriis epistularibus sivi tesseriis responsoriis internationalibus (quae in diribitoris cursualibus accipiuntur) inscriptioni subiungas.

Si quidem linguam Latinam in schola doces, etiam cum classibus scholaribus tuis **Commercium Epistularum Latinum Europaeum** participare poteris. Hoc casu tibi inscriptiones cursuales aliorum magistrorum mittemus, qui classes circiter aequales doceant. Quapropter rogamus, ut aetatem discipulorum in schedula inscriptoria indices.

De inscriptione tua ad **Commercium Epistularum Latinum Europaeum** valde gaudebimus.

Die Europäischen Lateinischen Brieffreundschaften

Wir laden Sie ein, eine Brieffreundschaft mit anderen Menschen aus ganz Europa zu beginnen. Nutzen Sie diese Gelegenheit, anderen Schülern, Studenten und Lateininteressierten verschiedener Länder auf Lateinisch zu schreiben, durch Briefe andere Menschen kennenzulernen und neue Freundschaften zu schließen!

Wenn auch Sie daran interessiert sind, einen lateinischen Briefwechsel zu beginnen, bieten wir an, Ihnen Adressen anderer Interessenten zu vermitteln, die bereit sind, auf lateinisch zu antworten. Dazu müssen Sie uns lediglich das beigefügte Anmeldeformular ausgefüllt zurücksenden. Die Teilnahme an den **Europäischen Lateinischen Brieffreundschaften** ist kostenlos. Damit jedoch unsere Portokosten nicht zu hoch werden, bitten wir, einen kleinen Unkostenbeitrag von ca. 5.- DM (15.- Ffrs. / 3500 Lit / 4.- SFr. / \$3.50 / £2) in Briefmarken oder in internationalen Antwortscheinen (bei der Post erhältlich) der Anmeldung beizufügen.

Wenn Sie Latein an einer Schule unterrichten, können Sie auch mit Ihren Schulklassen an den **Europäischen Lateinischen Brieffreundschaften** teilnehmen. In diesem Fall werden wir Ihnen Adressen von Lehrern vermitteln, die etwa gleichaltrige Klassen unterrichten. Wir bitten Sie daher, das Alter Ihrer Schüler auf dem Anmeldeformular anzugeben.

Wir freuen uns auf Ihre Anmeldung zu den **Europäischen Lateinischen Brieffreundschaften**.

Optime vale! Mit vielen Grüßen

Robert Maier Mechtild Hofmann Inge Koester

Septimanae Latinae Europaeae s.i.
(Europäische Lateinwochen e.V.)
Robert Maier
Dresdener Straße 10
W-6070 Langen
Germania

Kontonummer: 330130-607 (Postgiroamt Frankfurt, BLZ 50010060)
Computus: c.c.p. 330130-607 (Postgiroamt Frankfurt, BLZ 50010060)

Declaratio Accessus

Insimul ad societatem accedo, cui nomen «Septimanae Latinae Europaeae s.i.» condicionibus mihi notis (i.e. contributio annua 20.- marcae Germanicae (DM) erit, pro discipulis et studentibus 10.- m.G.; excedi potest in fine anni).

Praenomen, nomen: _____

Via: _____

Oppidum: _____

Numerus teleph.: _____ Discipulus / studens sum

Datum et subsignatio (si quis 18^{um} annum nondum compleverit, et parentes subsignent)

Hanc schedulam mitte quaesumus ad:

«Septimanae Latinae Europaeae s.i.»

Robert Maier, Dresdener Straße 10, W-6070 Langen, Germania

Computus: c.c.p. 330130-607 (Postgiroamt Frankfurt, BLZ 50010060)

Beitrittserklärung

Ich erkläre hiermit meinen Beitritt zum Verein «Europäische Lateinwochen e.V.» zu den mir bekannten Bedingungen (Jahresbeitrag 20.- DM, Schüler und Studenten 10.- DM; Austritt jeweils zum Jahresende möglich).

Vorname, Name: _____

Straße: _____

PLZ, Ort: _____

Telefonnummer: _____ Ich bin Schüler/in / Student/in


Ort, Datum und Unterschrift (bei Minderjährigen zusätzlich Unterschrift der Eltern)

Bitte senden an:

«Europäische Lateinwochen e.V.»

Robert Maier, Dresdener Straße 10, W-6070 Langen, Deutschland

Kontonummer: 330130-607 (Postgiroamt Frankfurt, BLZ 50010060)



Inscriptio ad Commercium Epistularum Latinum Europaeum

Hac schedula me Commercium Epistularum Latino Europaeo inscribo.
Participatio gratuita est. Rogatur vero, ut symbola ad expensa
cursualia vel tesseris epistularibus vel tesseris responsoriis
internationalibus inscriptioni subiungatur.

Magistra / magister in schola
sum

Discipula / discipulus sum

Cum quot discipulis Commercium
Epistularum Latinum Europaeum
participare vis?

Studiosa / studiosus sum

Sum _____

Aetas discipulorum:

Aetas:

In qua schola doces?

Quot annos linguam Latinam
didicisti?

Praenomen, nomen: _____

inscriptio cursualis: _____

numerus telephonicus: _____

Quae sunt studia et oblectamenta tua praecipua?

Datum et subsignatio: _____

Hanc schedulam mitte quaesumus ad:

Septimanae Latinae Europaeae s.i.
(Europäische Lateinwochen e.V.)
Robert Maier
Dresdener Straße 10
W-6070 Langen
Germania

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DOMO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda
est ad adressam infra
stantem.

(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AXAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZB

8050 Zürich

5+6/91

IDIBUS DECEMBRIBUS

MCM XCI



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 91